1. Tim V, 23.

vino modice utereris propter stomachum tuum et frequentes
tuas infirmitates. Decuisset enim caelestem illum Magistrum, si
vel cura ipsi fuisset Timothei, quandoquidem, ex vestra, Manichaei,
mente, corpus creatura erat mali principii, scribere potius ad ipsum:
Abstine nullo utere vino, ut tanto celerius disrumpatur opificium
mali, et tu ab ejus onere libereris. Porro, si corpora
sunt a malo, quomodo dicit Dominus noster Jesus Christus: Nonne
duos passeres venduntur nummulo, et unus ex illis non cadit
sine voluntate patris mei, qui in caelis est. Cur enim curam
gerit Bonus Deus pro creaturis Mali, quibus nec praemia
proposita sunt, nec vita aeterna, nec regnum caelorum? Sed
quia creator est ipsorum, et Dominus et director, propterea
nec hoc genus sine ipsius nutu privatur vita. Quomodo autem
magnificabitur Christus in corpore Pauli, si corpus mali est
creatura? Et rursus idem divinorum mysteriorum interpres
si corpus non erat creatura Dei illius, qui super omnia est,
quomodo corpus, et spiritum et animam, optat integra ser-
vari, et hoc quidem in apparitione Domini? Dicit enim: Ipse
vero Deus pacis sanctificet vos integros. et spiritus vester
et anima et corpus irreprehensibilia in adventu Do-
mini Jesu Christi serventur. Praeterea, si anima
est ab alio principio, ab alio corpus: quomodo verus noster
Creator et Deus quum exhortatur cultores suos, quos non vult multum occupari (rebus inanibus)
de utroque admonet: Nolite curam gerere